

P I S A


1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

an. XV.



© P H N O I

GERMANIAE
DEPLORANTIS IM-
manem Turcarum in Ecclesiam
& Christianos sævitiam, ac tristissi-
mum rerum suarum & re-
gnorum interitum:

Directi

AD DEVM OPT. MAX.
Ecclesie suæ Duce[m] Fortissimum ac
MICHAELEM
Inuictissimum,
Et carmine Elegiaco descripti

A
IOHANNE PHILIPPI
Fridlandense.

FRANCOFVRTI
Typis Sciuianis Anno 1593.

AMPLISSIMIS VIRIS
ERVDITIONE, PRVDENTIA,
auctoritate, omniq; Virtutum
genere præstantissimis:

DN. MICHAELI KAHL,
FERSS, RATIONVM PRAEFECTO
Generosi & Magnificentiss. Domini Dn. MELCHIO-
ORIS A REDE RN BARO-
NIS, &c. in arce Fridlandensi.

DN. IOHANNI SCHNITTERO *Cof.*
DN. CHRISTOPHORO SIMONI *Præt.*
DN. GEORGIO SERGIO *Scab.*
DN. IOHANNI PHILIPPI *Parenti chariss. cæterisq;*
Dn. Senatoribus inclytæ Reipub. Fridlandensis, Dominis
suis, promotoribus ac fautoribus obser-
uandè colendis S.

Vota valent, votis pugnans ECCLESIA vincit:
Cum spes auxiliij, vota fidemq; regit.
Vota petit PATRIA, & Nostri fortuna BARONIS.
Aspera, sed votis discutienda pijs.
Hæc igitur, PATRES, animis quoq; vota benignis
Accipite, ardenti pectore fusa mihi.

Iohannes Philippi Fridl. Jun.



*N*unquid opem miseræ **DEVS ò DEVS**
amouet omnem

Ira tua, & pressam linoquit ab hoste truci?
Nunquid abes penitus: nec te, PATER, vlla Sæ
RPTÆ

Cura tuæ tangit, quæ tibi fisa DEO?
Huc adhibe huc aures: gemitus precor accipe tristes,
Verbaq; plangenti corde profecta tene.
Huc adhibe huc oculos: lachrymas precor aspice fusas,
Oraq; largifluo fonte rigata vide.
Heu quid agam, cui damna querar? quot mille periculis
Obruor? heu mihi spes nulla salutis adest.
Me miseram, auxilium cum robore deficit: armis
Opprimor: heu pereunt tabida membra metu.
Ab PATER alme mei miserere, & suffice vires
Afflictæ, ac lapsis adijce rebus opem,
Qui potes, affer opem: ne me ferus opprimat hostis
Nec mea genua labent: qui potes, affer opem.
Vltor ades, precor hostium ades DEVS vltor, & ipsos
Sterne solo: ab certam, qui potes, affer opem.
Suggere consilium menti, quo vincere diram
Vim Mahometigenum tetraq; monstra queam.
Iucundum dederas deuicto ex hoste triumphum
Ante mihi, ast alijs me premis vsq; malis.
Gaudia parua animo cœpi: sed gaudia luctu
Mista, pauorq; animum territat hoste grauis.

A 2

Sic ne

Sic nè tuam dextra sobolem **D E V** Salmè tueris?
Sic ne sub aduersis stat tibi cura mei?
Tantanè te duræ trahit inclementia mentis:
Vt tua sic prolem torqueat ira tuam?
Tantanè te scelerum trahit indignatio nostrum:
Vt ntea tam dira crimina morte luam?
Ne precor equali vicium graue pendito lance:
Ne sub justitiæ pondere volue pari.
Longè etenim scelus excedit jus ponderis æquum,
Et meritò vltices cogit adesse Deas.
Peccaui, fateor, doleo, veniamq; requiro,
Corriget in melius facta pudenda pudor.
Nunc modò me dextra **P A T E R** alme tuere potenti:
Nunc Mahometigenas disijce, funde, feri.
En horrenda dies venit, quam carmina vatum
Prædixère libris Flamini ore datis.
Quam sacra **B V S I D Æ** & **D A N I E L I S** scripta notã.
Quam socijs **C H R I S T V S** rettulit ipse suis. Crunt
Ecce ruunt bello Gog, & gens Ethnica Magog:
Me miseram, si non maior vtraq; venis.
Ecce vides armis grassari impunè Tyrannos,
Quos Themis alma, suo, si petat, ense cadent,
Dira feræ facies **D A N I E L I** ostensa procellas
Has mihi portendit turbinis ante diu.
Sæpè malum hoc nobis, si mens non leua fuisset,
Fulgida discussis ignibus æthra tulit.

Sæpè

Sæpè sub obscura flagrantès nocte Cometæ,
Haud dubia offensi signa dedere DEI.
En vbi, magnanimi sunt duris Teutones armis?
Brennus vbi armipotens Arminiusq; silent?
Brennus vbi antiquæ virtutis nobile signum?
Arminius gentis gloria Teutonicæ?
Maior eram his, quam cui poterant inimica nocere
Agmina, fortunæ turbine maior eram.
Si duo præterea tales mihi summe dedisses
IOV A viros, orbi iussa ego sola darem.
Heu memini antiquas vires, immobile robur,
Atq; animosa Ducum pectora, bella, manus.
At nunc miles abest, nunc armis apta juventus
Deficit: ab misera conditione fruor.
Ergo agè chare PATER Te Te mihi dante salutem
Vivo, Tua palmæ sors mea fertur ope.
Tu mihi tela paras, tu sufficis arma: triumphus
Te mihi dante datur: Te Duce parta salus.
Agmina Tu firmas mea: per TE gloria belli
Parta venit, quando, trux jacet hostis, ades.
Menè PATER tanto duxisti funere dignam
Quæ Te, quæ Verbi semina sancta colo?
Quæ dilecta magis Tibi gens, cui verba dedisses
Cælica tam puro flumine fusa solo?
Quàm quod postremis mundi mihi contigit annis,
Qua gens nulla fuit prosperitate prior.

A 3

Vt Te

Vt Te jure mei celebrârint laude nepotes,
 Queis data vita Tua de bonitate fuit.
At nunc palantes video, gemitumq; cadentum
 Accipio, vt multis sint mala plura bonis.
Cernis vt insultent Turcæ, & fera jurgia jactent:
 Nec me quæ hos contra vis tueatur adest,
Ergo PATER peream: nec me Tua gratia ab hoste
 Muniet, aut dextræ proteget umbra Tuæ?
Annè Tuæ tanto bonitatis munere verbi
 Accumalata ruam perdita, & ense cadam?
Non ita confido fore: sed crux ista saluti
 Proderit, & validam dein mora neçtet opem.
Ergo veni, cum tempus erit, meq; hisce periclis
 Eripe: Te subeam viuificante necem.
Namq; ex morte leuas vitam, anxietate salutem,
 Marte togam, luctu gaudia, fonte pium.
Hæc Tua me seruat bonitas, hæc dulce leuamen
 Præstat: ab hac terrent nulla pericla fidem.
Sis bonus ô felixq; tuis, fata, aspera fata
 Aufer, & exiguum quæso tuere gregem.
Non iniusta precor: quid si quod voce grauaris
 Mente dares, nunquam spes mea vana foret.
Nunc tamen in melius tua, qui potes, orsa reflecte:
 Si quis & est trepido me peto solue metu.
Da mihi Te facilem, da Te mihi mente benignum,
 Qui nunquam miseros despicias atq; preces.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error,
Et vana elusit conditione fidem.
Nec tamen auxilij penitus frustrata paterni
Spe cecidi, at votis tædia frango moræ.
Multa quidem perpeffa moror: Tibi fisa Tuq;
Præsidio: nulli sed mea damna queror.
O quoties & quæ Turcæ mihi bella minati,
Irrita tentârunt prælia, castra, manus.
Tu quoniam mecum DEVS es: Tu tela ferentem
Et regis, & firma protegis agmen ope.
Sed qua dissidijs procerum & ciuilibus armis
Opprimor, externis sum quoq; præda viris.
Sic vires pereunt, sic æqua potentia cælo
Fracta domi turbis corruit, ense foris.
Ac vbi ciuiles positum est sedare tumultus
Regibus: externo diruta ab hoste cadō.
Nil quo fisa Ducum mihi suppetit vtile robur:
Nil me præsidio gens sociata fouet.
Sola relicta manus extendo ingloria inermes
Et vim, si qua iuuat, vi moror, arte fugo.
Ergò agè chare PATER Tu Tu me in prælia firma
Te Duce Te vincam: Tu comes ito mihi.
In te fixa salus vitæ, regni: atq; triumphi
Gloria: Tu cætu fortis adesto pio.
Exiguam seruato gregem: defende phalangas
Despectas: socios quæso tuere tuos.

Tu



Tu duc **HEROAS**, qui sortem ex Marte reposcunt
Mecum animis gratam, vel, quod abesto, malam.
Qui sua sunt ausi pulchram per vulnera mortem
Oppetere, aut hostes perdere strage truces.
Insignis virtute **BARO**: Germanus **ACHILLES**,
MELCHIOR A REDERN sit tua cura **DEVS**.
Nam capite hoc saluo saluum mea membra coronat
Præsidium: hoc lapsø labor, & ima peto.
Hoc **DVCE** namq; mihi nuper victoria ab hoste
Parta fuit: rexti cui **DEVS** ipse manus:
Quem numero **Aligerum** cinxisti, animoq; feroci
Armasti, vt valido fuderit ense **Getas**.
Et si continuo Victorem ea cura subisset
In **Mahometigenas** protinus ire truces:
Ultimus ille dies bello gentiq; fuisset:
Sed mea fors miro numine versa tuo est.
En mala cuncta **DEVS** cernis, quibus obruor: arctis,
Quod iuuat, in rebus dulce leuamen habes.
Ergò ades, ergò veni **DEVS** ô **DEVS**: ecce periculis
Occubo: me dextra suscipe, conde sinu.
Plura dolor lachrymæq; vetant mala pandere: **IOVA**
Tu nunc Tu patriam, qui potes, affer opem.

F I N I S.

Fc 1249.
gn

ULB Halle

003 422 747

3



bitte noch kein

sammelbd. verwenden


nach Ausleihe

an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17



an. IX.

© P H N O I

G E R M A N I A E
D E P L O R A N T I S I M
manem Turcarum in Ecclesiam
& Christianos sæuitiam, ac tristissi-
mum rerum suarum & re-
gnorum interitum:

Directi

A D D E V M O P T. M A X.
Ecclesie sue Ducem Fortissimum ac
M I C H A E L E M
Inuictissimum,
Et carmine Elegiaco descripti

I O H A N N E P H I L I P P I
Fridlandense.

F R A N C O F V R T I
Typis Scirianis Anno 1593.